QUÆSTIONES C
INSIGNIOR
EX
HISTO
LATRONIS CO

QUAS
DEO JUVAN

PRÆSI

CHRISTIANO EB
WEISMAN

THEOL. DOCT. ET PROF. P
ECCLESIÆ TUB. DECANO, ET D
SUPERATTENDEN

AD DIEM MENS. A

Loco & horis con
publico colloquio

RESPONDE

M. GOTTLIEB CHRISTIAN
SS. Theolog. Stud. & Se

TUBINGÆ
LITERIS GEORGII FRID

ES QUÆDAM
IORES
X
ORIA
CONVERSI

IAS
IVANTE
S I D E
EBERHARDO
IANNO,
OF. PUBL. ORDINARIO,
, ET DUCALIS SEMINARII
TENDENTE,
A. D. MDCCXLVI.
is consuetis
oquio exponet
NDENS
IAN CANZ, Bebenhusanus.
., & Serenifs. Stip.

N G Æ,
FRIDERICI MEZII.

§. 1.

DIgnam eſſe gravi ac ſeria meditatione *Hiſtoriam latronis converſi*, quam *Lucas* Evangeliſta *C. XXIII. 39 - 43.* commemorat, vel exinde ſapienter concluditur, quoniam frequens eſt illius uſus in arduis Theologiæ Chriſtianæ capitibus, & controverſiis religionis momentoſiſſimis, quibus lux aliqua, & præſidium inde quæritur non contemnendum. *Verba Domini*, quæ is hac occaſione dixit latroni ſecum crucifixo, partem faciunt *ſeptem* dictorum illius in cruce inſignium, quæ ex illius ore cum cura & affectu luculenter exponunt Miniſtri religionis atque Theologi, & Chriſtianis cœtibus ſalutaria & venerabilia eſſe vehementer cupiunt. Quoties de arcanis receſſibus & ſingularibus phænomenis converſionis peccatorum ad Deum ſermo eſt, nemo facile eſt Theologorum, qui latronis converſi non faciat mentionem, atque inde ſuas eam in rem doctrinas illuſtrare haud ſatagat. Porro dum plerique ſupponunt Theologi, hunc latronem in cruce demum fuiſſe converſum, cum prius eſſet ſceleratus & inſigniter malus, plurimis contra, modernis maxime, placet mille formare conjecturas in contrarium, quæ totam immutant facti ſpeciem, & nervos ſæpe incidunt multis cogitationibus communi antea conſenſu receptis approbatiſque, quibus deinde alii, ex recentioribus quoque, ſimiles alias, nec minori ſpecie, nec parciore numero, conjecturas viciſſim reddunt & ſubſtituunt.

Nonnulli, qui volunt esse fœcundi in causis hujus conversionis exornandis, non sane male de hoc instituto merituros se existimant, si B. Virginem suas quoque partes habuisse in hoc negotio credant, &, ut credant, cœlesti testimonio se adductos profiteantur. Cum Protestantes id exemplum latronis obvertunt communi Romanæ Ecclesiæ doctrinæ de purgatorio animarum satisfactorio post mortem subeundo, in mille formas non modo vertitur alloquium Domini notissimum ab illius Societatis Theologis, sed etiam contrarium probatur ex ore latronis, ejusque menti tota de purgatorio doctrina accommodatur. Nec illud omittimus. Dum Paradisi vocabulo res a Domino latroni promissa exprimitur, in favorem hypotheseos de Limbo Patrum,& de mansionibus secundum doctrinam Ecclesiæ Orientalis suscitata est quæstio. Denique nunquam acrius, meditatius & ferventius de vero usu & abusu exempli latronis conversi disputatum est a Theologis, quam ab eo tempore, quo gravis controversia *de seræ resipiscentiæ valore* aut *nullitate*, nostra quoque ætate, singulari studio ac zelo passim fuit retractata, & ad pulvisculos usque excussa, una ex parte, ut securitas & stulta præsumtio procrastinantium ad horam usque mortis pœnitentiam suam peccatorum pro merito redarguatur, & ex altera, ne sero pœnitentibus serioque aditus ad gratiam Dei & salutem tam crude præcludatur. Quis vero temere negaverit, esse in his omnibus quam plurima, quæ sapiens examen, discrimen justum, & maturam dexteritatem hoc fine requirant, ut falsum a vero, atque a vili pretiosum, legitime separetur? Ex iisdem rationibus commoda admodum est hæc materia, quæ mori Academico & scopo Dissertationum publicarum inserviat: Idque jam in causa est, cur constitutum nobis sit, in gratiam *Cl. Dn. Respondentis*, atque ad illius eruditam exercitationem, præcipua hujus causæ capita brevi compendio comprehensa ad colloquium publicum destinare, nostrisque verbis, quid nobis quoque de iisdem videatur? modeste eloqui. Habebunt tunc lectores dictorum a *Viris doctissimis* summam, atque insuper, ut speramus, fontes quoque & indices solutionum necessarios, quousque his opus fuerit, nec omnia, quæ hic occurrunt, suo probare consensu fas est.

§. 2.

§. 2.

Ad rem igitur ipsam propius jam accedimus, Deo juvante, eaque, quæ ex *Latronis conversi historia* tractanda nunc suscipimus, nonnullis quæstionibus exegetico - dogmaticis pro instituti ratione complectimur. *Primo loco* quæritur: an latro conversus in ipsa demum cruce, vel saltem admodum sero ad Dominum fuerit conversus? vel an idem ante crimen & supplicium suum non adeo malus fuerit & sceleratus, uti communiter creditur atque supponitur? Qui prius negant, propendent autem in posterius, ingeniosos se præbent in excogitandis conjecturis & ratiocinationibus varii generis, quarum præcipuam partem ex *Autoribus* deinceps nominandis fideliter allegabimus. Summa hæc est. Cum sileat Scriptura ipsa de priore latronis statu, neque eum specialiter enarret, ad minimum certa non esse, quæ de habituali & indurata ipsius malitia vulgo afferuntur: Forte prius fuisse hominem pium & gratia minime destitutum, sed per graves aliquando tentationes in hujusmodi turbas prolapsum, quæ, qualiscunque quis antea fuerit, supplicio in eo puniri solent: Quævis testari indicia, fuisse hunc latronem gente Judæum, neque adeo caruisse generali notitia religionis Judaicæ, atque eorum in specie, quæ circa Jesum Nazarenum ab aliquot annis gesta & relata sunt: Ipsa *duorum latronum* facta nonnisi generalibus verbis recenseri, neque certo cognitum nos habere, an illi facto *Barabbæ* impliciti fuerint? vel an alia occasione rei facti sint? Tempus & incommoda captivitatis emollire & præparare ejus animum potuisse ad pœnitentiam, neque sciri posse, quam diu illa duraverit? Fieri utique posse, ut etiam non extreme mali homines per seductionem & mala exempla, atque ex falso Zelo, in hujusmodi facta singularia incidant, qualia sunt tumultus, homicidium tumultuarium, vel simile quid, ex quibus æque, ac ex habitu, denominatio postea fieri soleat: Non paucos interpretes secundum ductum *Lucæ*, qua dicitur, latronem conversum haud insultâsse revera Christo crucifixo, sicut alter fecit, idque, quod apud *Matthæum* & *Marcum*

de utroque latrone legitur, per enallagen numeri & synecdochen explicandum; quo admisso tota facti species plausibiliorem accipiat formam: Non fuisse nisi triennium fere, quo Jesus prædicaverat, & crimen a latrone commissum esse potuisse longe antiquius: Nimis enthusiasticum haberi posse modum conversionis, si demum in cruce fuerit conversus, neque nos legere, quod Dominus Jesus ex cruce ipsum de his veritatibus novissime instituerit. Denique cautelæ loco adjicitur, esse quidem hactenus dicta conjecturas. Sed nihil certius posse adduci in re, quam paucis adeo verbis Scriptura recitet: hincque his conjecturis partem adversam pariter nihil nisi conjecturas opponere posse, æque facile negandas, vel saltem in dubium vocandas. Si quis pluribus verbis hæc dubia velit legere exposita, evolvat is ex Remonstrantibus EPISCOPIUM *T. I. Opp. Resp. ad Quæst. XV.* & *XVI.* CURCELL. *Institut. R. C. L. VII. C. XIIX.* LIMBORCH *Theol. Christ. L. V. C. XIII.* CATTEBORG. *Spicileg. L. IV. C. XIV. Sect. II.* imo & GROTIUM ipsum ad *Matth. XXVII. 44.* & *Luc. XXIII. 39. seqq.* quibus addi merentur ex Reformatis OSTERWALD *Quell. des Verderb. c. VI. p. 225. seq.* JAC. BERNHARDUS *von der späten Busse L. II. C. IV.* per tot. & JAC. SAURINUS *Conc. III. de dilatione pœnitentiæ, p. 98. seq.* Ut alios Scriptores similes jam prætereamus. Audienda vero est & altera pars, quæ contrarium statuit, cum suis rationibus. Summa huc redit. Memorabile esse, quod Scriptura hos homines, unum sicut alterum, nominet aliquoties λῃστὰς & κακούργους, atque apud *Esajam c. LIII. 12.* פֹּשְׁעִים, sceleratos, idque unum de iis recenseat, prorsus vero nihil de re aliqua meliore, sive de temperamento hujusmodi: Si tot bona prius habuisset latro, rem non fuisse indignam, quæ a sacris Scriptoribus ad varios usus recenseretur: Ipsum latronem confessum in cruce de se socioque, se tales esse, & ut tales pro merito tractari: Rem prorsus esse superfluam, narrationem Matthæi a sensu suo obvio divertere; imo posse *Evangelistas* heic in speciem contrarios aliter conciliari, ut apud *Matthæum* sit blasphematio Domini in initio apud utrumque: apud *Lucam* autem continuatio blasphemationis unius tantum, mutato altero: Non semper facilius

con-

converti eos, qui non ſemper ſcelerati fuerunt, vel nunquam, quam illos, qui vixerunt in ſceleribus, hinc per illam facti mutationem in latrone nihil lucrari prioris ſententiæ fautores: Sufficere omnino, qualiscunque antea fuerit, eum deinceps in ſtatu peſſimo extitiſſe, cum ληςης & κακȣργος fieret, huncque ſtatum non potuiſſe non ejus converſionem reddere ſeram ac valde difficilem: Quicquid pars prior pro latrone heic diſſerat, ad meras redire conjecturas certis uſibus præjudicatis deſtinatas, & in *Hiſtoria Sacra* nulla ratione fundatas. Noſtra de prima hac quæſtione ſententia hæc eſt: Innocens per ſe inſtitutum eſſe, in hanc partem Hiſtoriæ ſacræ inquirere: abeſſe tamen debere ſtudium partium, & præjudicium certi cujuſdam ſcopi, cui hiſtoria eo facilius accommodetur, ſive ex hac, ſive ex altera, parte: Tutiſſimum eſſe, inhærere illis, quæ *Scriptura* diſerte commemorat, iisque ſine neceſſitate nihil addere, aut demere, noſtro arbitrio: Videri etiam omnino, nullam in caſu præſente neceſſitatem adeſſe tale quid faciendi: easque, quas nonnulli adeſſe putant, ad graves & arduas concluſiones non ſufficere: Cuique interim libertatem ſentiendi eſſe relinquendam, uti & alias fieri ſolet in problematibus non ſatis diſerte aut plene in S. Scriptura deciſis, quæ tamen libertas haud neceſſario ſupponit, aut exigit, ut æquales pondere ſint partium diſſentientium rationes: Denique in ſequentibus demum quæſtionibus appariturum, quousque æquum ſit ad momenta hucusque ultro citroque allata applicate & propius attendere, quod ut faciamus hoc loco, nondum eſt neceſſarium.

§. 3.

Quæſtio ſecunda indolem & naturam converſionis & pœnitentiæ latronis in cruce examinat. Ratione temporis ſeram fuiſſe, atque diu omiſſam, cur negari debeat? non video, dum id recte explicetur. Si vel aliquando fuiſſet in ſtatu gratiæ (quod prorſus veriſimile non eſt, neque congrue apteque cogitari poteſt ab iis,

qui

qui inamissibilitatem gratiæ statuunt) post ipsius lapsum in peccata tam atrocia & clamantia id omne nihil amplius valuit, quin potius in ipso impletum est, quod dixit *Dominus: Contra cum aversus fuerit justus ab justitia sua, feceritque iniquitatem juxta omnes abominationes, quas facit impius, num vivet? imo omnes justitiæ ejus, quas fecerat, in recordationem non venient: in prævaricatione sua, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in istis morietur. Ezech. XVIII. 24.* Hic status novam, eamque seriorem, pœnitentiam latronis non promovisset, sed impeditiorem potius rediddisset multis modis. Adde ex incerta hypothesi, eum tempore captivitatis in animum suum descendisse, & expendisse animæ suæ pericula (quod ut præfracte negemus, necesse non est) non tamen hæc plena & solida fuit conversio, sed tenuia & languida, & mixta valde aliis turbulentis motibus, initia, quæ tam egregium nomen nondum meruerunt. Tunc demum secundum *Historiam sacram*, & post actus & paroxysmos contrarios valde memorabiles, id apparuit in *latrone* jam crucifixo, & per aliquod tempus luctante, quod veram ac solidam conversionem nominare licet. Vel sic igitur sera fuit, atque eo tempore efficax, quo omnia illius ad exitum spectabant, & omnis videri poterat evanuisse sese ad Deum convertendi opportunitas. Dicamus igitur confidenter, seram fuisse latronis conversionem, & jure eum posse inter exempla sero conversorum, si subductis rationibus universis calculus tandem ponendus sit, numerari. Quodsi porro e superatis impedimentis gravissimis & valde urgentibus conversio alicujus hominis æstimari potest, ac debet, ea nec apud latronem pœnitentem defecisse clarissimum est. Si cogitemus statum λῃστȣ & κακȣργȣ, in quo prius fuerat, squalorem carceris, supplicium durissimum, acerbos dolores, strepitum turbæ præsentis & crucibus damnatorum adstantis confusum, exacerbatum, loquacem, dissipantem denique, vicinum mortis periculum, inopiam externæ consolationis aut excitationis, scandala circum se intolerabilia, omnium prope de Jesu Nazareno desperationem, aliaque id genus plura, quis non prima specie, & in horrore talium paroxysmorum, animadvertere sibi videbitur impedimenta conversionis insuperabilia,

lia, conversionem impossibilem, abortus pœnitentiæ nimis seræ ac nihil ad salutem valituræ? Et omnia tamen contraria heic evenisse, res ipsa testatur, ac formidabilem conversionis impossibilitatem ipsa refutavit pœnitentiæ quam maxime seriæ solidæque actualitas. Talem revera fuisse, apud omnes in confesso est, & luculentissime ex illis omnibus apparet actibus, qui in illius exercitio & demonstratione sese exseruerunt, nec ambiguis saltem indiciis, aut testimoniis hominum conjecturalibus nobis constant, sed per divinum atque avthenticum testem, contra quem nulla exceptio valet, nobis innotuerunt, quales erant humilis & sincera demeritorum suorum, in fori humani ac divini æstimatione, confessio, timor justus & reverens Dei, quem alter latro neglexit, viva Jesu Christi secum crucifixi, in tam abjecta & contraria specie, tanquam Domini & Regis agnitio, ardens & confidens ad ipsius auxilium & gratiam in morte & ultra mortem refugium, preces ad Dominum fiducia plenæ, cordata & publica socii, & in illius persona multorum aliorum, etiam spectatissimorum, hominum, reprehensio, generosus conatus se ab iis omnibus in judicio de Jesu Christo crucifixo dissociandi, collecta demum ex toto virium totius cordis sui ad novissima sua, & ad Jesum ea sanctificantem & beantem, conversio. Hæc certa & explorata sunt. Major est de mediis gratiæ, quibus latro ad hanc pœnitentiam & fidem pervenerit, disceptatio. Cum seipsum latro convertere non potuerit, nonnisi a Deo & Spiritu ejus hoc beneficium contigisse, certum est. Hoc vero si certum sit, res ipsa & summa rei extra controversiam posita censeri debet. De ceteris, quæ nescimus, nec revelata nobis sunt, rationem reddere non teneremur. Sed non opus est, ut eo confugiamus. Nec ulla exaggeratio causæ heic necessaria est. Supponamus, Judæum fuisse latronem conversum, quod utique licet supponere; Non caruit utique notitia omni religionis Judaicæ: doctrina de Messia ipsum non penitus latuit: de Jesu Nazareno procul dubio multa audivit. Quid absurdi in eo est, si credatur, has notitias antea mancas, intermortuas, & suffocatas, atque adeo ipsi hactenus inutiles, in memo-

rabili illa periodo deinceps fuisse resuscitatas, auctas, correctas; atque ad vim convertendi per Spiritum Dei & efficacem Dni Jesu virtutem animatas applicatasque? In his casibus utplurimum non tam ampla cognitione, quam vigore & robore voluntatis, tantum agi negotium, dici potest verissime, quamvis neque cognitionis mensura mirabilis in latrone defecerit, sed forte nervo & efficacia, quam per latitudinem scientiæ, mirabilior. Valde autem meticulosum esse oportet, qui Enthusiasmum hic timet, ejusque metu omnia alia libentius comminiscitur. Quomodocunque tamen ad meliorem mentem latro pervenerit, non tamen conversus est irresistibiliter; omnia enim incommoda hujus modi convertendi, quæ ipsi alias objiciuntur a Theologis, hic quoque haberent locum. Dum etiam ne quidem *Saulus* in medio concursu extraordinariarum & miraculosarum causarum prævenientium irresistibiliter conversus est, multo minus id de latronis conversione affirmare necesse est. Neque dubitamus, alterum quoque latronem eodem tempore, & per eadem media, fuisse ad resipiscentiam & gratiam divinitus vocatum, quodque is apud ipsum frustra fuerit, malam ipsius voluntatem in causa fuisse, quæ in converso latronæ cessavit. Secus res omnis evenisset, si vocatio illa efficaciam debuisset habere irresistibilem. Illud quoque addimus, conversionem latronis haud instantaneam, sed successivam, extitisse; idque exinde colligimus, quoniam nonnisi per varios paroxysmos ex priore statu est eluctatus. Nec omittendum hoc loco, non *Deistico modo* processisse hanc conversionem, quin potius nonnisi per Jesum Christum hunc peccatorem pervenisse ad communionem Dei Jsraëlis, utut videri potuerit, illum secundum ordinaria religionis Judaicæ principia pœnitentiam salutarem agere potuisse, Jesu Nazareno tantisper seposito, quia maxima pars gentis de eo dubitavit, & nunquam vehementius, quam illo tempore, dubitavit. Unde recte concluditur, absurde omnes illos sibi aditum ad Deum ejusque gratiam sine Christo fingere, quibus Evangelium Christi plene & perfecte patefactum est. Denique docet nos historia latronis, illum in testimonium sinceræ suæ conversionis eos fructus osten-

oſtendiſſe, eaque feciſſe opera, quibus tempus vitæ reliquæ ſuffecit & occaſionem præbuit, utut multa non fecerit, a quibus per mortem ſubſecutam fuit excluſus ſine damno ſalutis ſuæ & veniæ a Domino impetratæ. Ad extremum, ſi comparate de converſione latronis ejusque fructibus loqui velimus, certum eſt, eum ipſos Chriſti diſcipulos in multis adhuc ſuperaſſe, hocque ſenſu ex ultimorum numero in locum primorum tranſiiſſe, quod tamen heic data opera non amplificabimus.

§. 4.

Quæſtio tertia & cognata hæc eſt: an iſta converſio latronis per B. Virginis interceſſionem procurata ſit? Affirmat eam in *inſpirata* ſua *Hiſtoria B. Virginis*, ſive in *Civitate Myſtica Dei*, MARIA d' AGREDA, dum ſcribit poſt recenſita prima Domini verba in cruce: *Hoc ipſo partem hujus myſterii agnovit latronum alter, Dimas nomine, &, operante ſimul interceſſione ac Oratione Mariæ Sanctiſſimæ, illuſtratus interius didicit ex primo hoc verbo ſuum Salvatorem & Magiſtrum, compunctus inſuper vero dolore & contritione ſuper culpis ſuis* &c. *P. II. L VI. C. XXII. p. 356.* Idem quoque de aliis ſuæ religionis recenſet THEOPH. RAYNALDUS in *Metamorph. latronis in Apoſtolum* &c. apud JOH. FRID. MAYERUM in *Eclogis P. I. p. 774.* ubi quæſtionem: Unde latroni ſalvifica hæc fides? tractat. Et certe hæc cogitata ſatis apte conveniunt principiis Eccleſiæ Romanæ, quæ nihil facile fieri permittunt in Eccleſia & mundo, in quo non ſimul partes inſigniores habeat B. Virgo. Nos ad hæc illuſtranda annotamus ſequentia. Si id unum diceretur ab *Autoribus citatis*, B. Virginem cruci Filii ſui tunc adſtantem, & procul dubio ea, quæ tum videbat ac audiebat, accurate contemplantem profunde in animum demiſiſſe, preces quoque & ſuſpiria ad Patrem cœleſtem fudiſſe, imo etiam quoscunque Filii ſui hoſtes & calumniatores Dei miſericordiæ commendâſſe &c. tunc nihil in ea re eſſet incredibile. Sed longe alia & majora in hac interceſſione quæruntur B. Mariæ pro latrone, dum ex officio *Corredemtricis* & *Commediatricis*, ſimilibusque aliis titulis

hæc facta derivantur. Ejus rei frequentia & stupenda leguntur exempla in allegata *Civitate Mystica*, cujus magna & insignis est in Ecclesia Romana existimatio atque autoritas. Hoc nomine jussa esse dicitur B. Virgo a SS. Trinitate, ut suum ipsi in sacrificium offerret unigenitum: Dicitur, certo sensu applicari posse ad Mariam, quod de Patre dictum est: Sic Deus dilexit mundum &c. additis his verbis: ita etiam hanc sic amâsse mundum, ut unigenitum suum ad salutem nostram daret, &, nisi dedisset, non potuisse impleri redemtionis humanæ opus absque eo matris cum voluntate Patris consensu: Dicitur glorificationi Domini invisibiliter interfuisse B. Virginem, quia, quod mera erat apud Apostolos gratia, idem quasi debebatur Reginæ & matri tanquam Sociæ & Coadjutrici Filii in Redemtionis negotio: Dicitur denique, eam omnibus passionibus Filii interfuisse, suasque partes habuisse in omnibus, tandem etiam sub cruce Filii stantem ejus dolores ac passiones Deo obtulisse & præsentâsse. Ut plurima alia similia nunc prætermittamus. Hoc sensu procul dubio & ista intercessio pro latronis conversione efficax interpretanda erit, quamvis mollioribus præter morem verbis res ista *l. c.* exprimatur. Hinc non miror, ipsum RAYNALDUM *Jesuitam* supra citatum judicâsse ex sua quoque hypothesi: *re ipsa id fecisse B. Virginem, confirmari certo non posse, sed ad summum pie cogitari posse ad fovendum in Deiparam affectum, quod plerisque in rebus ad Deiparam attinentibus studiosius hoc tempore non paucos, quam solidius, præstare videat. l. c.* Cur non potius intercessioni & orationi Mediatoriæ Filii Dei istam latronis conversionem & salutem imputemus, quæ certa & explorata est, & quidem soli, sine ullius associatione eo non pertinente? Conf. si placet, in *Orationibus* nostris *Academicis Dissert. II.* de *Liturgia Eucharistica cœlitus, si credere fas est, inspirata p. 140. seqq.* ubi data opera de *Historia* MARIÆ d'AGREDA ejusque *libro* scripsimus.

§. 5.

Quæstionem quartam sic formamus: An ex verbis latronis conversi: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum:* confirmari

mari

mari possit potius, quam refutari; doctrina E. R. de purgatorio? Vix ullus est ex Polemicis Scriptoribus R.C. qui id argumentum in Protestantes non retorqueat. *Recte* (ita jam ex antiquioribus MALDONATUS ad *h. l.* commentatur) *ex h. l. purgatorium probatur. Videbat enim latro, se paulo post moriturum esse, & oravit tamen Christum, ut sui post mortem memor esset, i. e. peccata remitti, quod alibi, quam in purgatorio, fieri non potest. Comment. in Evangel. p. 650.* His vestigiis deinceps institerunt BELLARMINUS quoque, BECANUS, aliique, quorum propria verba hic adscribere necesse non est. Contra MAHISIUM ista pariter repetentem in celebri libro: *la verité de la R. C. prouvée par les Ecritures*: olim jam disputavimus in *Conatu arcem causæ invadendi per inversionem argumentorum probantium partis adversariæ* §. 8. p. 28. seqq. Neque ea, quæ tunc scripsimus, ab hoc quoque loco aliena esse volumus, siquidem placuerit ista denuo in colloquio publico examini subjicere. Summa huc redit. Quamvis verba latronis vario sensu possint explicari, imo exposita jam legantur ab interpretibus, nullum tamen eorum minus habere verisimilitudinis, quam sensum de purgatorio; si ponamus, humilitatem & modestiam in petendo ostendere voluisse latronem vel miculis gratiæ Domini contentum, ut nonnulli volunt, vel rogâsse Dominum, ut sui olim meminerit, cum in summa gloria mundum aliquando judicaturus adveniet, prout alii credunt; vel simpliciter partem aliquam in regno Domini sibi exorâsse, nec tempus, nec modum auxilii beneficiique a se petiti præscribentem, quæ aliorum sententia est; hæc sane omnia sensui obvio verborum latronis propius convenire, quam alterum illud de liberatione diu post futura ex purgatorio quodam satisfactorio & pœnali: arbitrarium esse, de remissione peccatorum post hanc vitam heic cogitare, quam phrasis: memento mei: nulla ratione postulat, & ex hypothesi eorum, qui hic dissentiunt, in purgatorio proprie loquendo ne locum quidem habet: Esse ex ipsis R.C. Theologos, qui petitionem latronis supplicantis de receptione in regnum Messiæ explicent, nulla intermedii purgatorii mentione facta: Denique totius causæ decisionem non tam a verbis latronis: si forte

 ejus

ejus notitiæ per se rectæ aliquid imperfectionis adhæsisset, pendere, sed ex Oraculo & responso Domini, quod subsecutum est, esse repetendam. Neque jam plura addimus.

§. 6.

Sequitur autem *quæstio quinta*, eaque altioris indaginis: An responsum Domini: *Hodie mecum eris in Paradiso*: non solum latronem conversum, sed etiam omnes alios, a purgatorii passionibus & pœnis absolvat? Notum est, haud parum tribuere huic argumento, quando adversus *Pontificios* in hac materia disputant, *Protestantium* Theologos. Illi vero robur hujus argumenti per multas exceptiones controversum faciunt cum aliis dissentientibus. Nobis id unum hoc loco conceditur, ut eas exhibeamus in compendio. Dicitur *1.* a nonnullis, vocem *hodie* non ad existentiam in Paradiso, sed ad Amen, dico tibi, referendam. *2.* non de die naturali, sed de ampliore termino posse commode exponi. *3.* potuisse nihilominus aliquid hujusmodi latronis admissionem in Paradisum antecedere, uti quidam dicunt: vel *4.* eam deinceps subsequi, imo *5.* nihil obstare, quo minus illud hodie judicium extremum designet. *6.* Nihil hoc exemplo probari, nisi quod latro conversus venerit immediate & proxime in cœlum; sed id factum esse extraordinarie, & per modum privilegii, unde ad alios promiscue extendi nequeat. Latroni dictum esse hodie, non aliis. Imo *7.* non desunt, qui excipiant, potuisse latronem cum Christo esse, sine respectu ad locum. *8.* Ne Christum ipsum illo die in cœlum materiale conscendisse, sed post quadraginta demum dies a resurrectione. E. nec latronem. *9.* Imo Paradisum istum ne cœlum quidem fuisse, sed limbum PP. cum alias descensus Christi ad inferos in illo tempore suscipi non potuerit. *10.* Mortem latronis durissimam, patientissimo animo toleratam, & confessionem tam admirandam eo tempore, quo Christum Apostoli ipsi negabant, potuisse juste in plenam satisfactionem reputari: atque adeo ipsi ne quidem ulteriore opus fuisse purgatorio. Contra qui non

modo

modo salvatum esse proxime latronem statuunt, sed & illius exemplum vim suam probandi ad alios quoque se extendere existimant, non minus gravioribus se niti rationibus confidunt; in quam sententiam eo fortius propendent, quia in genere ipsis persuasum est, nullum dari hujusmodi purgatorium, quale in E. R. statuitur, h. e. talem statum, in quo non tam fomitis & radicis peccati tollendæ causa, sed propter expiationem culparum venialium necessariam pœnæ temporales post mortem subeundæ sunt, donec justitiæ divinæ penitus satisfactum sit. Quisquis autem hunc statum negat in universum, ne opus quidem habet, ut probet, exemplum latronis exceptionem non esse, sed ad regulam pertinere ordinariam. Sed & dici potest ex altera parte, in casu existentis & probati purgatorii (uti eum supponunt Pontificii) magnam speciem omnino habituram exceptionem privilegii ex parte latronis aliorumque similium: ut fere facilius in ordine & gradatione probandi videri possit, probare in genere nullitatem rei ipsius refutando purgatorium ipsum, quam in specie demonstrare nullitatem exceptionis & privilegii in latrone, quam diu adversarii purgatorii veritatem quasi probatam supponunt. Hinc non miror, JOH. DALLÆUM e. g. BELLARMINO excipienti, *paucorum privilegia legem non facere*, his verbis respondisse: *Ego vero, si qua in divinis tabulis lex extaret, qua diserte cautum haberetur, ne quis fidelium nondum remissa omni pœna moriens alio, quam in purgatorium, recipiatur, libenter concederem, hæc paucorum exempla lata a Domino legi minime fraudi esse; uti, quod vel Enochus, vel Elias, vivi in cœlum rapti sunt, nemo in ceterorum fidelium exemplum trahit. Sed cum nulli vel Prophetæ, vel Apostoli; de purgatorio vel unum verbum uspiam fecerint, cum culparum in hac vita remissarum pœnis a mortuis exigi nusquam docuerint, cum Spiritus S. eos a laboribus suis quiescere, qui in Domino moriuntur, clarissime edixerit* &c. *quis non videt, hæc universa vim legis obtinere* &c. *Tr. de Pœnis & Satisfact. L. II. C. XIII. p. 192. seqq.* ubi & reliqua omnino merentur legi. Solida est in se DANNHAUERI quoque nostratis responsio, *recte ex uno exemplo virtualiter universali ad genus homogeneum colligi, hinc recte omnino sequi:*

Latroni

Latroni pœnitenti qua tali, & quia pœnitens, non est purgatorium. E. nulli similiter pœnitenti ac ισοτιμω fide instructo. Hodom. Sp. Pap. Phant. XII. p. 1003. Interim certum est, quamdiu homini RC. ipsa opinio purgatorii in genere non eximitur, fieri non posse, ut ipsi persuadeatur, latronem in purgatorium ea de causa proxime non venisse, quia & qua pœnitens erat: is enim semper credere perget, aliis de causis id factum esse, sc. ut Dominus pudefaceret suos hostes, suamque manifestaret gloriam, nec minus ut tam heroicam & singularis exempli fidem atque confessionem singulari quoque præmio honoraret. Quicquid vero horum sit, certum est in supra allatis exceptionibus tantum non esse robur, quantum ab adversariis & dissentientibus creditur. Illa τȣ hodie ad dictionem ipsam translatio, utut antiqua sit, tamen ita comparata est, ut ex ipsis RC. MALDONATUS *insipidam* & *enervem*, BELLARMINUS autem plane *ridiculam* appellaverint. Sic pariter arbitrarium, & *Viro docto*, qui id protulit, indignum est, exclusa significatione diei naturalis ordinaria amplius aliquod temporis spatium sine omni necessitate substituere, dum præterea manifestum est, voluisse Dominum hoc verbo beneficium amplificare & augere potius, quam restringere. Porro pro mero figmento affectato haberi meretur, quod vel ante admissionem in Paradisum, vel post eam, aliquandiu in purgatorio fuerit latro, vel esse potuerit. Si *hodie*, h. e. illo ipso die cum Domino mortuo & ipse defunctus post Dominum venit in Paradisum, nihil certe temporis supererat post utriusque mortem latronis purgatorio. Ex Paradiso autem ipsum iterum ablegatum esse in purgatorii locum & statum, tam paradoxa est assertio, ut non facile se vel illis, qui purgatorium credunt, sit approbatura, nedum aliis. Videntur illi ipsi sentire robur consequentiæ a latrone ad alios, illudque declinare velle hoc remedio, qui tam multa excogitant eum in finem, ut ostendant, ne latronem quidem omni ex parte purgatorii post mortem fuisse expertem. Qui ex hodie *judicium extremum* audent efficere, vix digni sunt, qui hic audiantur. Horum expositionem prima, quam supra insipidam dixit, adhuc absurdiorem declarat MALDONATUS l. c.

Quod

Quod de privilegio & exceptione dicitur, quomodo in rectissimo ordine possit ac debeat refelli, indicavimus modo, nec dictorum ibi poenitet. Scripturæ S. magis convenit, si ad analogiam *exempli Paulini* de latrone dicamus, illius ut *maximi peccatoris ideo misertum esse Dominum Jesum Christum, ut in illo primo omnem ostenderet longanimitatem, ipse vero esset exemplo credituris in ipsum ad vitam æternam, 1. Tim. I. 16.* phrasin: esse *cum Christo*: heic ita explicare de latrone, ut simul potuerit esse in purgatorio, enormis licentia est. Ne MALDONATUS quidem hanc ferre potuit sententiam l. c. præterquam, quod non simpliciter dicatur: *Eris mecum*: sed *eris mecum in Paradiso.* Purgatorium autem Paradisus non est. Post resurrectionem demum Christum Dominum Spiritu & corpore in coelum ascendisse, sacra testatur Historia. Id vero impedivisse, quo minus cum Spiritu suo statim post mortem fuerit in Paradiso, ideo quoque non credimus, quia contrarium futurum ipse Dominus prædixit. Neque mera sunt Evangelia, quæ heic de *Paradiso* cum multi Veterum, tum Recentiores non pauci, protulerunt, ut mansionem Domini in Paradiso cum illius descensu ad inferos per Synchronissmum legitimum eo facilius conciliarent. Quod denique latro conversus & generosis suis passionibus in hac vita redemerit purgatorium, intensive & virtualiter satisfaciendo; supplendoque, quod in extensione & latitudine defecit, ut reipsa falsum est, sic ne quidem systemati ordinario doctrinæ de purgatorio & satisfactionibus eo pertinentibus satis concordare videtur.

§. 7.

Superest *sexta* & ultima *quæstio*: An & quousque adduci possit latronis conversi exemplum ad probandum, quod poenitentia seria nunquam sit nimis sera, sive quod poenitentia sera & seria non sit impossibilis, neque gratiæ divinæ promissionibus destituatur? Supponit hæc specialis quæstio generalem, eamque valde delicatam atque difficilem, ac proinde graviter omnino & prudenter tractandam. Ante omnia necesse est recte & perspicue formare statum controversiæ, quoniam non paucæ ambiguitates nascuntur ex varietate formarum docendi, quæ heic passim reperiuntur. Sc. non est quæstio, an difficilior & rarior sit poenitentia sincera in his

casibus, quam vulgo creditur? Hoc enim nemo negat sapiens. Non est quæstio, an pœnitentia sera aliquid valeat, si sincera & vera non sit? Quis enim hoc temere affirmaverit? Non est quæstio, an procrastinatio pœnitentiæ voluntaria & diuturna sit peccatum clamans & periculosum, horribiliter augens impedimenta gravissima futuræ quoque pœnitentiæ? Id non modo falsum non est, sed etiam instantissime urgendum atque inculcandum. Non est quæstio, annon maxima pars peccatorum extra pœnitentiam malitiose neglectam infeliciter moriatur? Verum enim hoc esse, justissimæ metuendi causæ adsunt. Porro non est quæstio, an liceat sero & suspecte pœnitentibus hujus generis quasi in re prope desperata & periculosissima quævis momenta ejus causæ, ad eos ex veterno excitandos, cum Zelo charitatis & commiserationis pleno proponere? Hujusmodi severam sollicitudinem cum æquitas, tum necessitas rei ipsa, & dilectionis quoque officium exigit. Neque illud in quæstione est, annon multa mirabilia & nobis incomprehensibilia in hoc rerum genere occurrant ex parte providentiæ & justitiæ divinæ, de quibus nemo mortalium reddere potest rationem? Quamvis arcana hujus rei sæpissime nesciamus, factum tamen ipsum liquet, & in controversiam adduci non potest. Neque illud quæritur, quid Deus per potentiam absolutam, & perpetua miracula, atque adeo ex motivis plane extraordinariis, possit exequi, si velit? Hæc enim nemini possunt in exemplum prodesse universale & ordinarium. Denique nec illud quæritur: an exemplum latronis procrastinatores quosvis conversionis suæ possit reddere securos, eos æque certo, ac ipso facto, pœnitentiam acturos, ut ab illo factum est? De hoc enim nemo eorum, qui ad latronem heic provocant, cogitavit unquam. Illis potius in hac causa contradicitur hypothesibus non parum exaggeratis, quæ passim apud indiscretos & nimios pœnitentiæ seræ adversarios, utut gradu dispari, leguntur; e. g. in illis, qui pœnitentiam suam usque ad finem vitæ post auditum verbum Dei distulerunt, conversionem veram & solidam esse impossibilem: Deum hic uti in salvandis, aut non salvandis, sero conversis libero Dominii jure: Omnem spem salutis esse in gratia extraordinaria, quæ nemini certo possit promitti: Ex fœdere

dere gratiæ ordinario eos non ſalvari: Dubium eſſe, an tales Deus velit reſipiſcere? quando Spiritus S. concionem verbi divini apud hominem, in toto vitæ ſuæ prioris curriculo, efficacem non reddidit, id certo & infallibili eſſe indicio, decreviſſe S. Spiritum, nihil cum hujusmodi homine velle habere negotii, eumque vas iræ exiſtere ad interitum ab ipſo præparatnm: Naturam omnem converſionis repugnare cum brevitate temporis, quod ſupereſt: Non ſolos in Spiritum S. peccatores, ſed nec illos revocari poſſe ad pœnitentiam, quos vivacitas ſenſim ſenſimque deſerit, qui, dum jacent in lectulo emortuali, doloribus & metu mortis excruciantur. &c. Ut multa alia ſimilia dicta jam prætereamus. In cauſæ hujus arduæ deciſione omne is punctum fert, qui dicta Scripturæ heic in ſpeciem contraria ea cum felicitate conciliare novit, ut ſuum juſtitiæ divinæ, ſuum miſericordiæ & promiſſionibus divinis tribuatur, neutrum vero ſine neceſſitate, & cum læſione verbi divini, cum altero collidatur. Id jam paſſim a Theologis cum cura & judicio tentatum eſt. Nos quoque cum illis ſentimus, qui exiſtimant, voluntatem ſeriam ſalvandi peccatores quoscunque in ordine divinitus conſtituto ex parte Dei nunquam in hac vita ceſſare, comminationes autem & executiones juſtitiæ divinæ repudiationem continuatam ſemper ſupponere, ita tamen, ut ab hac recedere conatu ſincero, humili, & generoſo nunquam habendum ſit, in curſu humanæ vitæ ordinario, prorſus impoſſibile. Etiam illud certum eſt, in multis hujusmodi locis conſtantiam Dei in ſemel decretis, non ſingulis tantum peccatoribus, ſed integris peccatorum cœtibus, pœnis temporalibus deſignari, non vero terminum gratiæ & ſalutis peremtorium, qui æterna ſalute excludat. Quo minus autem hæc ſpecialius nunc perſequamur, & amplificemus, varii generis rationes nos prohibent. Propius nobis accedendum eſt ad quæſtionem ſpecialem de exemplo latronis, ejusque virtute probandi, quod & locum habere poſſit pœnitentia ſera, & tamen ſeria, cujus gratia præcipua quadam ratione hanc materiam hucusque tractavimus. Qui id exemplum ad præſentem cauſam illuſtrandam putant eſſe minus idoneum, negant, latronem eo ſenſu, qui hic in quæſtione eſt, ad ſero pœnitentes jure referri, conſequenter, nec licere illius exemplum ad alios diſſimiles applicare. Nos vero exiſtimamus, vitilitigationi ſimilem eſſe hanc

exceptionem; sufficit enim a
fuisse ejus conversionem sec
servavimus. Addunt illi,
& extraordinariam, qualis a
etsi singularia sua habuerit
ad efficiendam conversionen
ferri posse. Imo vero, ut
tim omnibus vere resipiscen
emplum ad majorem contra
tum est. Porro urgent,
peccatores pœnitentiam sua
tione legitima suffultum; q
stione nostra prorsus alienu
ctius peccatores hic intueri
durationem contremiscere,
legerit in alterum & novum
pœnitentiæ. Quis vero neg
fieri posse ab hujusmodi pe
inde fortiter posse provoca
tant, unum latronem actu i
rum vero, etsi non fecerit,
revocantem gratiam sequi v
hortandi sunt peccatores ab
verus & genuinus illius usus
tam paradoxum est, si quis v
tentiam, & tamen illi ex pr
aut dubiam faciat, ut vel pler
seræ pœnitentiæ possibilitate
fateantur, absurdas & incred
que totidem verbis contrari
jungimus, nulli *Systemati* mi
bilitate seriæ & seræ pœniten
pendent a gratia irresistibili,
sit, nihil agitur, sive qu
co
T A

t enim ad ſcopum, vere ſeram, & tamen ſeriam,
nem ſecundum ea, quæ ſupra in §§. 2. & 3. ob-
nt illi, fuiſſe iſtam converſionem miraculoſam
qualis aliis promiſſa non eſt. Nos vero dicimus,
abuerit, id tamen, quod in ea præcipuum erat
erſionem, ad gratiam ordinariam omnino re-
ero, ut recte docent Theologi, gratiæ genera-
eſipiſcentibus ſine limitatione promiſſæ hoc ex-
n contra dubitationes confirmationem propoſi-
rgent, ſi fiducia hujus exempli procraſtinent
tiam ſuam, ſtultum hoc eſſe factum & nulla ra-
tum; quod nos facile concedimus, ſed a quæ-
s alienum eſſe cenſemus. Denique monent, re-
intueri latronem impœnitentem, & ad illius in-
niſcere, ut inde ſibi timeant, ne Deus ipſos de-
novum exemplum infauſti exitus procraſtinatæ
vero negat, hoc quoque ad juſtam excitationem
nodi peccatoribus: ſed & ad pœnitentiam eos
provocari, quando vel in noviſſimis ſuis cogi-
m actu ipſo vel tunc egiſſe pœnitentiam, alte-
fecerit, potuiſſe tamen pœnitentiam agere, ſi
ſequi vel ſero voluiſſet? Uno verbo, ita de-
ores ab abuſu hujus exempli, ut ex altera parte
ius uſus apud eos non intercidat. Ad extremum
ſi quis veram hic, utut ſeram, admittat pœni-
lli ex promiſſionibus divinis veniam deneget,
vel plerique ex illis ipſis Theologis, qui contra
ſſibilitatem & valorem fervidiſſime diſputant,
& incredibiles eſſe has cogitationes, & quando-
contrarium aſſerant. Id unum clauſulæ loco ad
emati minus decorum eſſe diſputare de impoſſi-
pœnitentiæ, quam *Reformato;* in eo enim omnia
eſiſtibili, quæ, ſi velit, vincit omnia, ſi vero ab-
, ſive quis cito, ſive mature, ſive ſero ſit
convertendus.

TANTUM.